

Et circa tria illa loca sic ordinat Pontifex,  
quod in locis vbi nō est creatus Episcopus,  
vel in locis ultra duas dietas distantibus à  
loco vbi inueniri potest Episcopus, vel eius  
Officialis, præfati fratres Mendicantes om-  
nimodam habeant auctoritatem in foro exte-  
riori, & interiori, tantam quantam iudicauo-  
rint esse opportunam & expedientem pro cō-  
uersione Indorum, & manutentione & pro-  
fectu illorum, & aliorum præfatorum infi-  
de Catholica, & obedientia sanctæ Romane  
Ecclesiæ. Et hoc quidem sine assensu Episco-  
pi, immo etiam illo contradicente. Sed in lo-  
cis vbi est Episcopus residens, vel eius Of-  
ficialis, & in locis adiacentibus, distantibus  
ramen per solas duas dietas à prædicto loco,  
vbi inueniri potest ipse Episcopus, vel eius  
Officialis, præfati fratres superiores ordi-  
num Mendicantium hac concessione hic ex-  
pressa [in textu de omnimoda potestate] non  
possint uti. Ratio huius limitationis fuit, ut  
debitus deferretur honor Episcopis circa  
suos subditos: atq; ita eiusmodi limitatio de-  
bet intelligi quantum ad Indos, & ceteros  
seculares, qui subsunt Episcopo, & non res-  
pectu fratribus, sive sui ordinis, sive alterius,